

CVII. TAVIA (*Taggia*).

Via Albingauno Antipolin secundum itineria maritimum et terrestre sic habetur disposita:

ITIN. MARITIMUM p. 502:	STRABO 4, 6, 1 p. 202:	PEUTINGERANA:	RAVENNAS 4, 32. 5, 2:	ANTONINIANUM p. 295:
Albingaunum portus XXV	Albingaunum stad. 480 = LX	Albingauno XV	Albingano (-nis)	Albingauno XV
portus Maurici XII		Luco Boramni ...	Luco Vermanis(germanis)	Luco Bormani XVI
Tavia fluvius XII		Costa bellene XVI	Costa balleni (ballenis)	Costa balenae XVI
Vintimilio plagia XVI		Albentimillio VIII	Avinetimilio (ad viginti milio)	Albintimilio V
Hercle Manico portus XXII	Monoecus	in Alpe maritima VIII	Alpe maritima (albi maritana)	Lumone VI
Avisione portus III		Gemenello VI		Alpe summa VIII
Anaone portus XII		Varum X		Cemenelo VI
Olivula portus V		Antipoli		Varum flumen X
Nicia plagia XVI				Antipoli
Antipoli portus				

Tavia fluvius is est qui hodie dicitur Taggia. Eius ad ostia, ibi fere ubi fuit Costa balaenae itinerariorum, nunc autem est oppidum fluvio

cognomine Taggia et ad eum vicus l'Arma, repertus est titulus is qui sequitur, unde efficitur iam antiquo tempore castellum ibi stetisse.

**7809** Taggiae ibi ubi adhuc prostat, nempe in porta castelli quod fuit dell' Alma s. Arma, titulum inventum esse a. 1565 intellegitur ex altero supra hunc collocato: *D. o. m. | Tabiates crebris Turcarum | incursionibus vexati, [quo] sibi et posteris tutiorem sedem | pararent, hoc propugnaculum | tit. Annuntiationis | nuncupatum cum tabella | [mirae re]tustatis hic | [inventa] erexere | [anno a partu] vir. MDLXV | die XXV Martii.* Quae dedi uncis quadratis comprehensa, evanida facta in lapide supplevi ex Calvii 'chronicis conventus S. Mariae de misericordia ordinis praedicatorum Tabiae ab 'anno 1460 ad 1623' ms., unde quae hoc pertinent mea causa excerpit Hier. Rossi Ventimigliensis: '1564. R. P. Fr. Ludovicus de Revello prior 'concionibus adhortationibus et aliis modis hortabatur populum Tabiensem, ut arcem fortē et bene munitam quam primum fabricarent ad depri'mendos furores barbarorum; et cum satis super hoc disputatum esset, ipse cum suis fratribus assumpta cruce processionaliter ad locum ivit ubi dicitur l'Arma, et supra specum, ubi est oratorium B. Virginis, coepit propriis humeris ex litore maris deferre saxa ad fortalitium illud fabricandum.... Fodientes ergo fundamenta novae arcis in ruderibus antiquarum ruinarum repererunt tabulam ex marmore albo, sed ob tellurem aliquantulum 'rubicundam sic continentem' (sequitur inscriptio antiqua) 'quam tabulam, postquam fabricare cooperunt, collocaverunt supra portam istius arcis cum 'alia tabula seu columna maiore prima continente' (sequitur inscriptio recens). Tabula haec recens cum et forma et litteris antiquam imitetur, elementa quaedam (ut M et M) plane differunt et vocabula separantur in antiqua punctis, in recenti interstitiis. Illam vere aetatis Romanae esse qui accurate inspicit intellegat necesse est.

VICTORIAE-AETER  
NI-IMVICTI-IOVIS *sic*  
OPTIMI MAXIMI  
M-VAL-CAMINAS  
5 CASTELLI - RESTI  
TVTOR  
AUTOLYCUJ

Contuli diligenter. Castelletti cod. Ambros. D. 199 inf. f. 105<sup>r</sup> (inde sub falso nomine Iulii Guastavini Mur. 91, 11); Maurandus 1572 apud Peirescium cod. Paris. Lat. 8957 f. 230; Ganducus discorsi p. 54 (inde Schiaffino vol. 2 p. 8); canonicus Vinc. Lotto apud Amatium cod. Vat. 9763; Amoretti viaggio da Milano a Nizza (Mediolani 1829. 12) p. 46; Navone passeggi per la Liguria occ. p. 129; L. Bixio antologia di Firenze vol. 10, 1, 7; Sangüineti p. 172.

7 postea adiectus est litteris ad cursivas inclinantibus, sed antiquis et ipsis.

CVIII. ALBINTIMILIVM (*Ventimiglia*). *Tribu Falerna*.

Intimilios (sic scribendum esse mox videbimus) Ligures Liguribus Ingau-nis adiungunt Livius (40, 41, 6: *Postumius ad visendam oram Ingaunorum Intimiliorumque Ligurum processit*) et Strabo (4, 6, 1 p. 202, vide supra p. 894). Caelius apud Ciceronem ad fam. 8, 15, 2 sic scribit a. u. c. 705: *quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpis versus incidit? ideo quod Intimili (cod. intimidi) in armis sunt, neque de magna causa.* Oppidum eorum appellatur *Album Intimilium* (sic Plinius 3, 5, 48; 'Αλβιον 'Ιντεμέλιον vel 'Ιντιμελίων Strabo 1. c., vide supra p. 894) sive *Albintimilium* (sic tituli tres Cemenelensis n. 7883 ... o Aliconi trib.... Albintimiliens. et urbani duo Fabrett. 135, 104: *M. Saburius Ligus Fal.* Albintimili et Kellermann n. 101a, 3, 1: *M. Aemilius Clemens Alb. I[nti]-*

mil., item itin. Antonianum p. 296: *Albintimilio*, idemque latet in corruptelis Peutingeranae: *Albentimillio* et apud Tacitum hist. 2, 13: *albiniti-militum* et Ptolemaeum 3, 1, 3 'Αλβινμηνιον, 'Αλβινταμηνιον, 'Αλβινμινιον' sive *Intimilium* (sic titulus Aquileiensis supra n. 886: *C. Albucius C. f. Fal. d. Intimili* et ita restituendum est apud Varronem de re rust. 3, 9, 17: *intiminum*, Strabonemque l. c., ubi semel traditum est 'Ιντιμέλι-, praeterea 'Ιντεμέλι-, item apud Tacitum Agric. 7: *dum Intemplo — Li-guria pars est — hostiliter populatur*), hodie Ventimiglia (*uintimilio* itin. marit. p. 502), quod non ex Albintimilio corruptum est, sed ex Intimilio. Oppidum satis magnum (*πόλις εὐμεγέστης*) appellatur Straboni, situm autem fuit non eo ipso loco, quo nunc est Ventimiglia, sed mille pas-